



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Tribunal Poenitentiae Sev Libri Dvo Prior De Poenitente Ut Reo Posterior De Confessario Ut Judice

Stoz, Matthäus

Anno M.DC.LXXXIX.

§. 1. An, & Quid sit Reservatio?

urn:nbn:de:hbz:466:1-37144

non amplius potest. Et quia Palao de Legibus. D. 4. p. 16. §. 5. n. 5. putat huic clausulæ juxta communem loquendi modum æquivalere illam: *quamdium voluero; ad meum beneplacitum*, ideo probabile cenlet, jurisdictionem etiam cum istis clausulis delegatam non expirare morte delegantis.

ARTICULUS III.

De Reservatione Casuum.

De hac quoque dicenda sunt hinc aliqua, ut, quæ ad Jurisdictionem Confessarii spectant, plenius intelligantur.

§. I.

An detur Reservatio? & quid sit?

56. Esse in Ecclesia potestatem reservandi peccata, eamque habere summum Pontificem in universa Ecclesia, & quemlibet Episcopum in sua Diœcesi, atque ita, ut vim habeat non tantum in externa potestate, sed etiam coram DEO; ad ædificationem tamen non ad destructionem, definitum est in Trid. Sess. 14. cap. 7. & can. 11. Idque merito. Tum quia ad rectam Christiani populi gubernationem spectat, non quævis peccata à quovis Confessario absolvi; cum in tanto eorum numero, quantus est necessarius, non omnes habeant peritiam sufficientem ad cujusvis peccatoris directionem & emendationem. Tum quia difficultas in ad eundo Superiore pro absolutione est oportunissimum frænus ad fideles à gravioribus peccatis coercendos.

57. Reservatio itaque casuum est actus, quo Superior alicui inferiori, vel

non concedit Jurisdictionem in aliqua peccata; vel jam antea concessam iterum aufert. Casus autem reservatus est ille, à quo inferior aliquis Confessarius nequit absolvere ob defectum Jurisdictionis sibi à Superiore in illum non concessæ, vel iterum ablatae. Jurisdictio enim si sit delegata, pendet ejus concessio & ablatio, ampliatio & restrictio ab arbitrio delegantis. Ordinaria competit quidem alicui ratione proprii sui officii, cui jure humano tantum, vel etiam divino annexa est; sed quia nihilominus semper, saltem quoad modum ampliationis & restrictionis manet subiecta dispositioni legitimi Superioris; ideo Jurisdictionem ordinariam Parochi Episcopus, & utriusque potest Pontifex restringere, atque in aliqua peccata non concedere, vel concessam antè iterum auferre. Dicast. de pœnit. Disp. 11. dub. 1. Laym. l. 5. tr. 6. cap. 11. num. 1.

§. II.

Quorum peccatorum soleat fieri Reservatio?

58. Porro circa reservationem sunt observanda seqq. 1. Quamvis ab Ecclesia possint validè reservari etiam peccata venialia, uti & mortalia jam semel confessæ, merè interna, & dubia, sicut Dicast. de pœnit. disp. 11. dub. 4. 5. & 6. cum aliis probat; ut tamen peccatum aliquod censetur defacto à Superiore reservatum, debet illud 1. esse mortale; venialia enim, cum nemo teneatur confiteri, frustra reservarentur. Dicast. l. c. n. 31. 2. extraordinariam aliquam habere gravitatem, quæ exigat extraordinarium talem rigorem & curam. 3. prodire in actum externum,

foz

1. mal
 2. tentia
 3. m
 4. A